



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum IV. Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

ubi dicitur, quod remuneratoria donatio sit veluti species quaedam permutationis.

Notandum secundum, Servus, sive mancipium Ecclesie aliter manumitti non debet, nisi ut operas officiales eidem Ecclesie præsteret ipse, tum posteritas ejus. Ita hic & in c. *liberti 61. causa 12. q. 2.* ubi dicitur, si tales manumissi, seu liberti à patrocínio Ecclesie recesserint, & alteri personæ adhæserint, atque admoniti redire contempserint, tanquam ingratos iterum in servitutem esse redigendos; & in c. *longinquitate 64. eadem q. decernitur*, ut liberti Ecclesie professionem faciant, se de familijs Ecclesie esse, & ejus obsequium nunquam derelicturos. Idemque habetur in c. *libertus 65. eadem q. 2.* Itaque discrimen est inter libertum Ecclesie, seu ab Ecclesia manumissum, & alium libertum, quod alterius libertus operas officiales, & fabriles patrono non debeat, nisi is pactus sit, seu exegerit in manumissione; ut colligitur ex L. 3. & sequentibus ff. *de operis libertorum*. Quamvis secus dicendum sit de operis obsequialibus, videlicet assurgendo, honorando, in jus non vocando patrono &c. hæ enim naturaliter debentur secundum Gl. in L. *fabriles. 6. §. opera. ff. eodem.* & sumitur ex L. *ult. C. de bonis libertorum*. At verò Ecclesie libertus operas officiales debet ex Canonis constitutione. Veruntamen talis Ecclesie libertus, sive alius quicumque ad operas adstrictus patrono, ad Ordines promoveri non debet & quicumque 5. dist. 54. Videri possunt, quæ docui lib. 3. tra. 4. c. 12. n. 10. & Summ. rom. 4. de Relig. lib. 2. c. 26. ubi agit de donationibus remuneratorijs, quas Prælati facere possunt.

CAPITULUM IV.

Episcopi.

PARAPHRASIS.

Si Episcopus nihil ex suo contulerit Ecclesie, servum ejus manumittere non de-

bet, quia impium est, si quis nihil contulerit Ecclesie, ut damnum eidem inferat. Quare successor Episcopi manumissum, seu libertum absque ulla contradictione in servitutem revocabit, cum manumissio irrita censetur.

SUMMARIUM.

Quæ male sunt alienata ex Ecclesie, successor revocare potest, & debet.

Hic Capitulo obstat videtur C. si quis 56. causa 12. q. 2. Respondeo, in illo loco sermonem esse de servis beneficijs, hos enim in compensationem meritorum libertate donari æquum est, & id à successore non potest revocari manumissio, cum Ecclesie noxia non censetur, prout etiam in c. præcedente dixi.

Notandum. Quæ à Prælato male alienata sunt, successor revocare potest, nondum taxat ostenso, quod alienatio illegitime facta fuerit. L. *jubemus 14. C. de SS. Ecclesijs.* & videtur nulla exceptio opponi posse, ne ea quidem, quæ est defectus dominij, quippe cujus probatio sæpe difficilis est c. *sape 18. de restitutione spiritualium*. Et ita Ecclesia sæpe lædi potest, nisi statim restitueretur in possessionem, quam theoriam ponit hic Abbas n. 2. argum. *capit. textus V. absque aliqua opposicione* & confirmari debet ex regula recepta, quod ex facto Prælati Ecclesie damnum inferri non debet.

CAPITULUM V.

Nulli.

PARAPHRASIS.

Nemini licet rem immobilem Ecclesie alienare, sive agrum, sive servum rusticum, sed nec specialis hypothecæ titulo obligare, nomine autem alienationis comprehenditur conditio (videlicet testamenti; alij legunt, conductio scilicet ad tempus longum) donatio, venditio, per-